

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiarvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

323. An, & que electio habita in locis occultis sit clandestina, & an
propterea ipso jure nulla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

spectat convocare electores; determinatio loci; cum hac intrinsecè connexa sit convocationi. Pass. num. 6. De cetero, dum quastio est de loco loci consueti & ordinarii, nimis de loco intra ambitum Ecclesiae viduata existente, liberum est praefidit electionis, maiore parte vocalium non repugnante, quemcunque locum determinare, ad quem omnes teneantur accedere. Pass. num. 7.

5. Respondeo quintò: quod si per mortem Prelati plures viduata sint Ecclesiae, penes quas simul est electio unius successoris; dum neque lex aut statutum, nec consuetudo determinat, in qua eorum, aut ubi habenda electio, minor pars accedere debet ad locum (si is tutus est) majoris partis, intelligendo hanc vel maiorem tantum in numero, sed in dignitate, dum una Ecclesia est altera dignior; alias conveniendum ad locum communem, ab eo, cuius est convocare Electores de consensu majoris partis vocalium, hoc est, majoris partis dictarum Ecclesiarum (singulis Ecclesiis, si haec omnes ad hoc personaliter simul convenire nequeant, seorsim in suis Capitulis de hoc statutibus) determinatum. Pass. num. 8.

Quæstio 321. Num Electio facta sine rationabili causa extra fines Ecclesie propriæ, vel locum alias confectum, sit ipso jure irrita, vel saltē per sententiam irritanda?

1. Respondeo primò: si locus de cetero est honestus, non est ipso jure irrita; quia locus non est de substantiâ electionis. Barb. de jure Eccl. l. 1. c. 9. num. 176. Sigism. d. 15. num. 4. Ragg. cent. 2. dub. 190. num. 1. Passer. cit. c. 12. num. 12. & ab eo cit. Tamb. cit. c. 12. num. 1. contra Gl. int. 1. dist. 23. v. fieri in urbe. Excipe tamen electionem Papæ, quæ facta extra conclave est nulla; juxta c. ubi periculum. h. t. in 6. & Bullam Greg. XV. Aeterni Patris. Sylv. Tabien. Donat. apud Pass. num. 4. cit. c. 12.

2. Respondeo secundò: sed neque tunc est jure irritanda. Tabien. Pass. loc. cit. & alii contra Laym. in c. cum inter. b. t. num. 1. & Pirk. loc. cit. num. 242. Cum neque hoc nulli in jure expressum reperitur; nam c. cum terra. b. t. nullus locus electioni Episcopali determinatur, sed solum dicitur, ut Electores in unum locum conveniant. c. quid sicut. b. t. dicens: si fieri possit, electionem habendam in Ecclesia; solum loquitur de electione Episcopi, (quamvis nec hanc necessariò juxta canones facienda esse in Ecclesia, dicat Pass. n. 13. ubi tamen addit, in electione Episcoporum difficultius salvâ honestate simpliciter reperiri locum, in quo præter consuetudinem, seu absoluè præter ambitum Ecclesiae Cathedralis ea fieri possit) à qua non valet argumentum ad alias electiones; adeoque id solum juxta canones est necessarium, ut locus sit conveniens tam dignitati, ad quam quis eligitur, quam ipsi eligentibus. Pass. num. 12. & 13. Nec obstat consuetudo; quia in istis, ubi parum vel nihil interest, ut actu fiat hic vel alibi, & consuetudo fundatur ferè in sola aliqua maiore commoditate, absque eo, quod inducere eam intendant inducere obligationem talis consuetudinis, parum aut nihil obligant. Pass. ibid. unde etiam ait, se non videre, cur eligere etiam sine causa extra Ecclesiam, vel alium locum consuetum, honestum tamen & convenientem, sit peccatum grave, vel etiam, unde eligere extra locum consuetum, intra tamen ambitum Ecclesiae, sit peccatum leve.

3. Respondeo tertio: si tamen locus ille non fōret honestus aut conveniens, v.g. pro electione Ecclesiastica domus aliqua secularis, vel aula secularis Principis (nisi forte ubi & hæc eligeretur tanquam protegentis electionem, & nullatenus se ei immiscens. Pass. num. 15.) electio esset cassanda, utpote facta contra canones, id maximè prohibentes. cit. c. quæ fronte. Pass. num. 14. factum enim contra legem non debet habere similitatem. reg. quod contrajus. dereg. juris in 6. An vero electio facta in loco inhonesto sit peccatum mortale, necne mensurandum est ex qualitate in honestatis loci, quæ potest esse levis.

Quæstio 322. An teneat Electio facta in loco interdicto?

R Espondeo affirmativè; interdictum enim suspendit solum, & prohibet officiorum divinorum & sacramentorum quorundam usum; non vero obligationes & contractus, quale quid est elegere. Abb. in c. 1. de post. num. 33 ibidem. Bald. num. 2. Barb. loc. cit. num. 177. Ragg. loc. cit. num. 3. Lavor. c. 18. num. 6. Castel. c. 6. num. 12. Pass. num. 16. cum communis DD. Verumque idipsum est, etiam de electione Pontificis; et si enim ea prohibeatur fieri in loco interdicto cit. c. ubi periculum, adeoque in ea fiat illicitè, non tamen in eo facta valorem suum admittit. Gloss. in cit. c. Abb. loc. cit. Pass. num. 17.

Quæstio 323. An, & quæ electio habita in locis occultis sit clandestina, & num propterea ipso jure nulla?

1. Respondeo primò: tractatus secretos institutos in locis abditis, à minore etiam parte, vel paucis Electorum de eligendo amico, concive, aliave certa persona, per se malos non esse, modò persona illa amica vel concivis sit, quóque dignior vel æquè digna. Pass. num. 21. Sed neque dici possunt electio clandestina; cùm electio constituantur non per consensum de futuro, qualis datur in dictis conventiculis; sed per consensum, qui præbetur in scrutinio absolitus & de præsenti, per verbum eligo expressus. Pass. ibid. contra Ragg. p. 3. dub. 152. n. 3.

2. Respondeo secundò: formalem electionem factam in loco secreto & abdito, occultissime convocatis Electoribus ex hoc non esse irritam, nec irritandam; quia id fieri nulli nequidem vetatur; imò locus, quo securior, èd aptior servando in electione canonica secreto. Neque etiam ex hoc dici clandestinam; non enim fit clam, quod fit coram electoribus simul sub legitimo capite congregatis, et si fiat clam respectu extraneorum, quod ipsum fieri iura porius præcipiunt. Pass. num. 19.

3. Respondeo tertio: electionem factam in cambris privatis per occulta conventicula ab aliquibus tantum Electoribus dici quidem posse clandestinam; non tam ex eo, quod fiat in locis occultis; sed quod fiat clam ceteris Electoribus, similiter esse irritam ipso jure vel irritandam, non ex priore illo, sed ex posteriore hoc capite; quia nimis, vel non interfuit major pars Electorum, aut numerus sufficiens ad hoc, ut sit Collegium Electorum, ex quo quis eligi valeat: vel contempti solum fuerunt aliqui.

4. Respondeo quartò: electionem ex hoc quoque dici clandestinam, quod in ea non publicetur scrutinium, vel quod communis electio non fiat publi-

publicè; & hinc esse irritam , sive de cætero fiat in locis occultis , sive in publico & consueto . Pass. num. 19. & 23.

5. Respondeo quinto : eam magis propriè in jure dici , & reprobari electionem clandestinam , qua ita secretò custoditur ab electoribus , ut minime Clero , populo , aut communitatibus publicetur . c. quia propter . b. r. Gl. ibid. v. clandestinas . Biax. p. 3. & 37. Pass. num. 21. Verum etijs electionem in hoc sensu clandestinam reprobet , & præcipiat electionem publicari , ubi ea tamen non publicatur , nisi aliunde vitium habeat , neque est jure irrita , neque irritanda (licet clandestinitas hæc sit tollenda ante confirmationem , ad quod sufficiet , si confirmator ipse electionem publicer , nec ad actum confirmationis procedat , nisi citatis vel monitis interesse habentibus in confirmatione ; cum enim per electionem legitimè factam sit acquisitum jus electo , ipso hoc suo jure non est privandus sine sua culpa . Lavor. c. 19. num. 93. Pass. num. 23. citans Innoc. & Jo. And. contra Abb. Hostiens. Gl. in c. unicum , ut Eccles. benef. & alios , quorum tamen plures , dum docent clandestinam electionem esse irritam , intelligunt illam , qua non est collegialiter facta ; sed privatim & divisim per privatas subscriptiones & suffragia , & occulta conventicula . Barb. ad cap. licet . 8. q. 1. apud Pass. num. 23. qui etiam num. 25. observat ipsam quoque electionem communem , qua publicato scrutinio fit ab uno nomine totius Capituli , dici etiam publicationem electionis , & hanc indubitat esse de substantia , & forma electionis , adeoque absque ea electionem esse jure ipso nullam ; secus verò illam publicationem , qua post priorem illam factam fit extra Capitulum Clero , populo vel conventui .

6. Respondeo denique : sed neque hæc posterior publicatio electionis ita est necessaria , seu præcepta fieri , ut ex necessitate aliqua , v.g. ad vitandum grave scandalum non licet eam differre , usque dum confirmator vel alius quidam competens Superior admoneri possit , ut juxta ejus consilium & mandatum vel publicari , vel magis abscondi ad tempus possit . ita ferè Pass. num. 30.

PARAGRAPHVS VIII.

De tempore Electionis.

Questio 324. Num. Ecclesiā needam viduatā sponso seu Prælato suo, eligi possit successor, aut saltēm instituti tractatus de eo eligendo?

1. Respondeo ad primum negativè cum communi & certa . c. bona . 36. & c. quia propter . b. t.

2. Respondeo ad secundum : tractatum collegiale , & canonicum Ecclesiā nondum viduatā habitum de novo prælato ei providendo , vel aliquo spectante ad electionem esse nullum , etiam si infirmitas prælati sit planè desperata . cit. c. bona . ibidem . Abb. num. 2. Biax. p. 3. c. 3. num. 1. Pass. c. 13. num. 9. Ipsa quoque citatio facta vivente prælato nulla est , ita , ut immediate etiam post mortuo prælato , ea nunquam convalescat , sed opus sit novâ citatione . c. bona . Pass. num. 11. Quinimo ipsa post talen tractatum subsecuta dein electio , mortuo jam prælato , etli non sit irrita , est tamen irritanda . Abb. & Biax.

ll. cit. Pass. num. 10. Quod tamen etiam intelligentum non est de ea electione , quā non eligitur is , pro quo tractatum ante mortem prælati , sed alius . Vel , quā non habetur in vi alicujus conclusi in illo tractatu . Biax. & Pass. ibidem . Item intelligentum non est de tractatu merè consultivo , & nullius spectantis ad electionem definitivo ; talem enim tractatum nequidem prohibuit esse , tenent Abb. loc. cit. num. 12. Biax. num. 2. Laym. de electione . c. 4. q. 13. Quamvis dicat Pass. num. 12. negari non posse , esse aliquam in honestatem , vivente adhuc Prælato , tractare collegialiter de successore , etiam nihil deliberando , si non sit aliqua necessitas .

Questio 325. A quo momento vacare censetur Prælatura?

1. Respondeo primò in genere : duobus modis viduari & vacare Ecclesiam , nempe per mortem naturalem , & moralem (dum nimur Prælatus fit professus in Religione) & per absolutionem Superioris , ubi ea notificata est ; ad hanc enim reducitur quoque modus ille vacationis , dum ubi prælatura temporales sunt , ex vacante tempore , quo Prælatus completer officium ; nam & tunc Prælatus à jure manet absolutus . Et licet dicatur Ecclesia viduari modo triplici , adhuc in vivis existente Prælato , juxta c. inter corporalia , de translatione Episcoporum , nimur per translationem illius ad aliam Ecclesiam , per ejus cessionem , & depositio nem vacat tamen quamprimum , & non ante , quam uniusquisque harum modorum completus est per absolutionem .

2. Sic completer translatio Episcopi alterius Prælati , dum hic volens transfertur , vel etiam dum hic non volens transfertur (scilicet in eo casu , ubi Superior potest Prælatum etiam invitum de una ad aliam Prælaturam transferre) ab eo puncto temporis , quo absolvitur à priore prælatura per Superiorum , v.g. Episcopus in Consistorio Sanctitatis sua , etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum , vel adeptam possessionem secunda Ecclesia , ita ut , ubi hujus absolucionis notitiam habuerit Episcopus , etiam ex testimonio , seu documento secretarii sacri Collegii , illico teneatur abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis , ea que translat in Capitulum , tanquam sede vacante , juxta declarationem S. Congregationis Card. negotiorum Episcoporum præpositæ , quam dictis verbis recitat Barb. ad c. 1. de translat. Episcoporum . num. 5.

3. Alias verò dum prælatus non deserit volens priorem Ecclesiam , absolviturque non nisi sub conditione futuri consensū illius , ab eo punto , quo post absolutionem in eam consentit . Similiter completer depositio ab eo tempore , quo Superior prælatum in persona absolvit à prælatura , seu deponeit , aut depositum declarat , ita tamen , ut , ubi iusta appellatio locum haberet , effectus hic depositio nis , scilicet vacatio suspendatur , donec sententia transeat in judicatum . Pass. cit. c. 13. num. 4. & 5. Quin etiam ut , si depositus à Papa ab eodem de causa restituatur ante factam electionem novi successoris , hæc subsecuta sit nulla ; quia facta sede non vacante , si tamen restituatur post factam electionem , hæc valida sit , & non cassanda ; quia facta legitimè sede vacante , nisi tamen in restituzione apposita clausula decreti irritantis : etiam de præterito , quidquid in contrarium jam factum est ; vi cuius illius ex plenitudine potestatis tunc Papa factam electionem

nedi